

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 32. (*Neovidensis* 1806. Nro. 25.)

*Ex Campis Elysiis*  
*Dissertatio Politica.*

De heroicis temporibus.

*Elysium.* -- Meum. -- Die Vener. 11. April 1806. (*Neov. 25. Mart.*)

Sententia:

— — fueramus Pergama quondam.  
*Virgil.*

Quaquam diversarum nationum, ac populorum origo maximam partem fabulosis involuta sit narrationibus, eorum tamen progressus, & fixa domicilia probant non defuisse illis viros, qui ex glandium, atque oleorum consumtoribus effecti sunt venatores, & ex venatoribus strenui bellatores.

Ita Trojani ad conservandam suam libertatem ædificabant arces, & munimenta, quæ Pergama dixerunt, habebantque suis antiquis temporibus Heroes, qui ea incolebant, & bella ex bellis serebant. Historia Trojanorum est historia omnium populorum; Quælibet ratio numerat epochas felicitatis, & infelici-

tatis. Assirii, Persæ, Græci, Romani, & tardius Germani, Hispani, Galli, imo etiam Sveci, Mauri, & Saraceni habebant suos heroes, & heroica tempora. Quævis natio productis suis annalibus potest alteri, a qua superata est, clara voce prælegere doctrinam: — *fuimus Pergamæ quoniam!*

Ephemerides Moguntinæ pulchre alludunt ad hanc doctrinam. — Dum nova Parisina, hunc illæ continent sensum, vix credunt posse fieri, ut novum erumpat in continente bellum, germanici rerum novarum commentarii pleni sunt apparatus russicis. In limitibus Russiæ ingens congregatur exercitus; in ipso autem regno duplicato fervore conducuntur milites, in omnibus officinis, & armamentariis fervet opus, quæ manifeste demonstrant, quonam conatu velit Alexander adhuc semel tentare fortunam belli.

Si quærat, contra quem dirigenda sit hæc tenta, tamque terribilis præparatio? tunc prodit, quæstionem æque esse singularem, atque responsum naturæ conveniens; Nulli alteri genti intentantur hæc minæ, quam Galliæ; Gallia, quam vires Europæ jam 15 annis convellere frustra satagebant, est modo magis, ac unquam objectum æmulationis cæterarum magnarum in Europa gentium, & quidem jure optimo. Nos ipsi ingenue fatemur, in præsenti rerum statu sufficientem adesse materiam ad suscipiendum universale bellum. Sed quis illud inchoet? quibus auxiliis continue-

tur? &  
felicite  
G  
sit bel  
vires,  
sit ex  
Nunqu  
sentia  
S  
derati  
non p  
tantu  
verita  
in G  
I  
quæ  
puto  
citus  
Impe  
versu  
ferre  
tum  
gent  
siste  
acce  
Ubi  
to,  
nov  
ac  
riti  
ren

tur? & quæ affulget vel probabilis spes, ut feliciter concludatur?

Gallia per 15 annorum curriculum gessit bellum contra unitas fere totius Europæ vires, & semper fortior, semper ditior excessit ex campo, quam ad arenam descenderit, Nunquam illa fuit potentior, quam in præsentiarum.

Sine dubio Russia est magna, & consideratione digna prædita potentia. At mihi non persvadeo, existere vel unicum etiamsi tantum leviter politica tinctum, qui de hac veritate dubitaret: Russiam non posse Galliæ in Gallia, vel ejus limitibus bellum inferre.

Ponamus gallicum exercitum talia posse, quæ humanis viribus ferme repugnant, non puto tamen, ut belliduci a fronte hujus exercitus stanti veniat in mentem velle Russico Imperatori Petropoli leges dictare.

Si itaque Russia ad prosequendum adversus Galliam bellum cogitationes suas conferret, repetendum illi foret toties male tentatum remedium, ut in conjunctione cum aliis gentibus, in earum territorio ita posset consistere, ac in suo, atque ad Galliam propius accedere. Sed ubi terrarum est hæc coalitio? Ubi gentes, ex quibus formaretur? Verum dato, & concesso, quid quid ad hypothesim novi belli probabilem reddendam dari potest, ac concedi, eritne nova consociatio præteritis fortunatior? Forsitan continent hodierna rerum adjuncta mutationes in ejus utilitatem,

& Gallix detrimentum tendentes? ego quidem nec unicam scirem in medium adducere. At facili negotio possum plures enumerare, quæ ab exitu infeliciter gesti ultimi belli futuræ coalitioni obstant, favent autem imperio gallico.

Nec usu, nec ratione assequor, an nonnulli politici, qui rem facillimam putant in his rerum circumstantiis vi posse coerceri Galliam, non fallant, vel ab aliis non fallantur. Non multum temporis est elapsum, quo in publicis ephemeridibus personabat, Borussia deberi, Europam esse ab interitu vindictam.

Eventus docuit, de quo jam tunc nemo dubitare potuit, hanc quorundam res novas spargentium temeritatem non prodixisse a Borussico magni consilii gubernio. Fortitudo Borussiae consistit in prudente, & parca reipublicæ administratione. Borussia nec tanto numero populi, nec tantis internis pollet subsidiis, ut diuturnum posset contra colossum Gallix regnum bellum sustinere. Repe- tamus memoria bellum septennale! Fortitudinem, & disciplinam copiarum Borussicarum nemo vocat in dubium, at bellum septennale fere nihilo plus reliquit, quam — magnam sui memoriam. Gallicus contra exercitus decennali bello, imo continuis per decennium reportatis victoriis animatus, consistit intrepidus; ejusque duces, qui milites ad referen-

das pal-  
ti, qu-

Fri-  
minant-  
blicum  
regebat  
tas in-  
Gallix

Hi-  
rium v-  
& sap-  
hunc n-  
jactet  
pida.  
æmula  
mome-  
quo,

S-  
mines  
parvis  
evect-  
infelic-  
liam  
cissit  
pus e-  
jaceb-  
hanc  
bit;  
ita p-  
opta-

mini

das palmas ducebant, tempore non sunt fracti, quin potius exercitatiores effecti.

Friderico Magno bellum septennale determinante, plenum erat Borussiae ærarium publicum, & quod multo pluris faciendam est, regebatur consilio Friderici; Hæc perspicacitas inest modo vasto Galliae regno; Nunc Galliae dominatur ille Fridericus.

Historia populorum, est historia singulorum virorum, qui iisdem præsent. Tempus & sapientia fingit, & effinxit aspectabilem hunc mundum, prout est, & olim fuit. Quis jactet Thebas pereunte Epaminonda & Pelopida. Carthaginem sola Hannibalis virtus fecit æmulam Romæ. Quis tribuat Sveciæ illud momentam, quo sub Gustavo Adolpho Magno, & audace Carolo XII. gloriabatur?

Si autem in fatiis est, ut tam singuli homines, quam integræ provinciæ per vias a parvis initiis ad summum dignitatis culmen evectæ, tandem in voraginem turpitudinis & infelicitatis præcipitentur, quis eximet Galliam ab hac communi rerum humanarum vicissitudine? Ego non existimaverim. Tempus erit, quo etiam hoc regnum prostratum jacebit, & quidem ingenium ejus Rectorum hanc epocham vel removebit, vel accelerabit; Cæterum hoc punctum temporis non est ita prope, ut inimici magni hujus imperii aut optant, aut sperant.

Etiam Ludovicus XIV principio sui regiminis prospera usus est fortuna, dicunt ad-

versarii, & tamen iste Rex, Magnus appellatus, in fine vitæ suæ vidit suum regnum multis malis afflictum, sibi subjectos calamitosos, hostes vero triumphantes. Sed quæ similitudo Napoleonem inter, ac Ludovicum XIV? Ille possidet totam magnitudinem, hic autem ejus tantum umbra fuit.

Gallia prout erat sub Ludovico XIV. non est eadem sub Napoleone. Etiam si similia adjuncta videantur similes portendere effectus, sæpe tamen hi effectus virtute peculiarium virorum longe aliam obtinent formam. Eumne habuissent negotia Austriæ exitum, quem difficillimis Reipublicæ temporibus retulerunt sub Wallensteinio, & Principe Eugenio? Verum non omne gubernium deligit ex multitudine illico Wallensteinios, aut Eugenios, licet iisdem dotibus instructi viri non sint ita rari, ut plerumque existimatur.

Semper heroica tempora magnarum sunt causa mutationum. Idem etiam hodie evenit. Nova facies Principatum Neocomensis, & Valangini profertur in lucem, uti hoc ex sequenti declaratione pronum est colligere:

Fridericus Vilhelmus Dei gratia Rex Borussiae &c. Nostris dilectis, & fidelibus salutem! Paterna propensio, quam nos, inde a suscepto regimine, omni data occasione conabamur provinciæ Neocomensi, & Valanginæ exhibere, sit vobis argumento, quoniam animi sensu præsens scriptum ad vos dirigamus. Hoc vobis annunciat mutationem, quam

circum  
summi  
Mozar  
sentien  
Statu  
ris Ga

Q  
ipsi v  
gravi  
matis  
nobis  
mus,  
consu  
ti vid  
comm  
prop  
sit a  
ut e  
possi  
ment  
tura  
Imp  
vinc  
nov

qua  
gub  
ta,  
sva  
test  
fue  
teri

circumstantiæ necessariam fecerunt. Motiva summi momenti, ex utilitate totius nostræ Monarchiæ desumpta nos induxerunt ad consentiendum, ut cura futuræ felicitatis horum Statuum in manus Suiæ Majestatis Imperatoris Gallorum tradatur.

Quantumcunque autem cupissemus nos ipsi vestra commoda promovere, quamve gravi afficiamur dolore ex separatione æstimatissimorum civium, quorum nobilem, & nobis addictum animum semper magni fecimus, attamen negari non potest, longe consultius fuisse vos libere cedere quam sorti victæ provinciæ, quæ vobis impendebat, committere. Cæterum cum vestra regio, propter situm geographicum longe remotior sit a centro nostrarum provinciarum, quam ut eidem sufficiens illico securitas præstari possit, & quia iste situs tam quoad alimenta, quam commercii, & industriæ culturam necessarium involvit cum gallico Imperio nexum, existimamus per ardua vincula, quibus eidem Regno copulabitur, novos felicitatis fontes apertum iri.

Induximus præterea in animum, ut, quantum in nobis erit, tanta vobis apud gubernium gallicum impetremus emolumenta, quanta ipsi potestis desiderare. Persvasum habetote, imo volumus, ut opere testemini, quantopere nobis semper cordi fuerint vestra commoda, & nunquam interituram in animo nostro vestræ fidelita-

tis memoriam. Sapientia potentis Imperatoris, cui vestra sors tradita est, jubet nos sperare, ut vota, quæ pro vobis facimus, exaudiantur.

Camerarium nostrum, & extraordinarium legatum in Helvetia Liberum Baronem Chambrier d' Oleyre nominavimus, ut nomine nostro tanquam Regius Commissarius hanc provinciam illi tradat, quem Sua Majestas Imperator Gallorum ad capiendam ejus possessionem delegerit. Quem in finem necessaria rerum agendarum potestate est instructus, quem præterea informavimus, quid cum publicis proventibus agendum, ratione quorum volumus adhuc ultimum amoris nostri erga subditos, a quibus summo cum animi dolore divellimur, dare specimen, iisque prodesse. Non dubitamus, quin Liberum Baronem de Chambrier in executione rerum sibi commissarum sitis adjuturi. Est illi adhuc speciatim impositum, ut vos, & omnes publicos ministros a jure jurando, quo se Domui nostræ obstrinxerunt, absolvat, & pro præstita fidelitate gratias agat, declaretque benevolentiam nostram illis semper propensissimam futuram — Quare rogamus Deum, ut vos in suam sanctam suscipiat tutelam. Berolini 28. Febr. 1806.

*Fridericus Vilhelmus.*

Ad Senatum Neocomensem.

*L. B. Hardenberg.*